

consistere dixit in esca & potu, quia ex his rebus per se spectatis non pendet salus nostra, non vero ut Filio Regni Dei in præsentis sæculo ab omni re sensibili abstinere debere declararet; multominus ut Sacramentorum materiam eliminandam decerneret, cum in *Ep. ad Corinth. c. 10.* diffusissime confirmet, his verbis: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?*

P R O P O S I T I O II.

*Jocularis Novatorum sententia de validitate Sacramenti sine forma refellitur.*

§. VII. Rex & Legifer noster Christus Dominus novæ legis Sacramenta in rebus simul & verbis instituit ex §. IV. Prop. I., ergo sicut sublata, aut essentialiter immutata materia, non perficitur Sacramentum, sic ablata, aut immutata essentialiter forma, nullum omnino conficitur Sacramentum. Fatemur cum *Estio*, totam rationem tandem referendam esse in voluntatem Divinam; at huic Divinæ voluntati omnino obsequendum: non enim theoretica quæstio hæc est, sed practica, nec quarimus quid Deus potuerit, sed quid revera fecerit.

§. VIII. Ecclesia Mater, Paulicianorum, Cataphrygum, Arianorum, aliorumque Hæreticorum Baptisma rejiciens, & rebaptizandos docens ab his Hæreticis baptizatos, eo quod essentialem mutationem in Sacramenti formam induxissent, hanc eandem veritatem luculenter demonstravit; si enim, forma essentialiter immutata, Sacramentum non conficitur, confici multo minus potest, omnino sublata forma. Accedit Ecclesiæ sententiæ *S. Augustini* auctoritas, qui *lib. 19. contra Faustum c. 16.* de Sacramentorum formis loquens, sic ait: *Illæ syllabæ celeriter sonantes, & transeuntes, nisi dicantur, non consecrantur.*

§. IX. Favet etiam duplex ratio Theologica, quarum prima est: Supposita Dei institutione & ordinatione, esse impossibile intrinsicè in præsentis rerum statu Sacramenta existere sine forma. Essentialia enim Sacramentorum sunt